

CVM
VIR SVMME REVERENDVS, MAGNIFICVS
 atque **AMPLISSIMVS,**
D O M I N V S
FRIDER. ERNESTVS
KETTNERVS,
SANCTÆ THEOLOGIAE DOCTOR,
CONSILIARIVS ECCLESIASTICVS, DIOE-
CESEOS ANTISTES, AD D. BENEDICTI PASTOR, ET
GYMNASII INSPECTOR GRAVISSIMVS ME-
RITISSIMVSQVE,

NATVS A. clolccLxxi. d. XXI IANVARII, DENATVS A. clolccxxii
 d. XXI IVLII, ANNO AETATIS LII,

DOMINICA VIII TRINITATIS

QVA PRIMAM HIC HABVIT CONCIONEM, ADI-
 TVMQUE SIBI IN HANC DIOECESIN PEPERIT,

IN AEDE D. BENEDICTI

SEPVLERO SVO ESSET INFERENDVS,

HONORIBVS SVMMI MERITISSI-
MIQUE THEOLOGI,

SVIQUE AFFINIS ETIAM POST FATA COLENDI,

HOC, QVICQVID EST, MONVMENTVM

PONERE,

ET VNA DOMINIS COLLEGIS

atque ALVMNIS SVIS


EXEQVIAS SIGNIFICARE VOLVIT

M. TOBIAS ECKHARDVS,

ILL. QVEDL. R.

QVEDLINBVRGI,

Literis IO: GEORGI SIEVERTI, Typogr: Aulic:





Eploranda iactura est, cum grandiores natu meritisque graues viri rebus eripiuntur humanis; qui etsi virium contentione, ore manuque negotiis vacare non queunt, consilio tamen rei communi possunt prodesse, & plus auctoritate & precibus conficere, quam opera alii. Cum autem ii morte festinata decedunt, qui optima in ætate constituti, omnibusque ingenii atque animi dotibus instructi sunt, quique plurima commoda in rem humanam adhuc dispensare possunt, tum vtique graue inprimis ac flebile damnum est. Iis namque res hominum orbantur viris, quales non admodum plures, nec breui nascuntur tempore, quosque optare magis, quam nasci licet. Optarim ego cum Nerone, cum bonus adhuc esset, iam dicere: quam vellem nescire literas, ne mihi significandum nunc esset funus *summe Reuerendi Magnifici atque Amplissimi viri, DN. D. FRIDERICI ERNESTI KETTNERI*, Consiliarii Ecclesiastici, huius Diœceseos Antistitis, & ad D. Benedicti Pastoris, Gymnasiique Inspectoris longe grauissimi, meritissimique. Ea ætate, iis animi virtutibus, doctrina rerumque sacrarum vsu & prudentia, vitæque integritate erat, vt diu multumque de rebus humanis potuisset bene mereri. Sed diuini hic consilii atque provisionis nutus est, quem mirari potius ac reuereri oportet, quam ingrato animo & inique ferendo offendere Numen. Quod aliis præstiti supremum pietatis officium, id lubens nunc defugerem, & excusatus abire optarem; dandum tamen hoc est Antistiti venerabili, & Gymnasii nostri Inspectori, eiusque voto ac desiderio, vt vitæ rationes breuiter exponam. Cum vero ingenium inopinato Affinis obitu perturbatum a se ipso destituatur, breui narratione perfungar, & quæ in vitæ occurrit periculo, simplici oratione describam. Natus est anno superioris seculi LXXI, die XXI. Ianuarii, Stolbergæ in Misnia, patre Per-Reverendo doctissimoque viro, M. FRIDERICO KETTNERO, S. Theologiæ Baccalaureo, oppidique Pastore, & Ephoriæ Chemnicensis Adiuncto, & matre MARIA MAGDALENA, ERNESTI HOEKNERI, Prætoris oppidani & mercatoris spectati filia. Anno MDCLXXV parens rite vocatus abiit Lipsiam, & Ecclesiastæ munus ad D. Thomæ suscepit. Cum MDCLXXX funesta lues ciuitatem celeberrimam, alterumque Misniæ ocellum, infestaret, & ipse, postquam adfuisset aliis, & eucharistiam administrasset, morbo contagioso fuit correptus, eoque d. XIV. Septembr. naturæ exsoluit debitum. Prima hæc fuit calamitas, quam vir beatus subiit, patre orbatus, cum octo esset annorum puer, inter quinque fratres & sorores natu maximus. Solet per aspera & dura versare DEus, quos maioribus destinauit rebus. Cum lues ea grassaretur Lipsiæ, mater quinque stipata orphanis Annæbergam ad cognatos concessit, nec quicquam omisit, quod ad rectam liberorum faceret educationem. Scholæ traditus ibi publicæ iis imbutus est artibus, quibus adolescentia ad humanitatem solet imbui, multumque se debere professus est Clarissimis viris, GEORGIO PLATONI, Con-Rectori, & M. IMMAN. LEHMANNO, eiusque successori M. IACOBO STVBELIO, Rectoribus, quorum industria ita profecit, vt varia dicendi ediderit specimina. Neque memor non fuit beneficiorum, quæ M. ZOBELIVS, Archi-Diaconus, affinitate propinqua matri coniunctus, exhibuit ei. A. MDCLXXXVII circa Paschatis festiuitatem Lipsiam abiit, & Academiæ ciuem dedit, & cum per annum ibi substitisset, a DN. L. THOMA ITTIGIO, Polyhistore & Theologo celeberrimo, in domum conuictumque fuit receptus, & per septem annos eum habuit hospitem, Præceptorem, benefactorem, & reuera alterum parentem, cuius prolixam in se benevolentiam innumeraque beneficia nunquam a se prædicari fatis posse ingenue est professus. Hic campum nactus latissimum strenue decurrit eum, & nullus fere tum Lipsiæ fuit Professor ac Doctor, qui cum celebritate ea docuit, quæ sibi intellexit profutura, cui non diligentiam approbauerit suam. Se-

-ctatus

ctatus est acutissimum Philosophum & Theologum cordatum, D. ALBERTI, qui Logicam, Physicam & Metaphysicam; & D. FRANCKENSTEINIVM, qui historiam civilem, notitiam auctorum, rationemque legendi literas mercuriales explicabant. Multum quoque profecit e lectionibus B. AUG. PFEIFFERI, in quibus rationes Atheismi recensuit ac confutavit. Neque omisit scholas obire celeberr. Icti, CARPZOVII, in quibus Ius Canonicum illustravit; & quia rerum naturalium studio tenebatur, quinque sectionibus humani corporis interfuit curiosus spectator. Theologis, quos Lipsia tum habuit celeberrimos, omnibus operam dedit assiduum, omnesque Theologiae partes pertractavit. Audiuit enim D. IO. BENEDICTVM CARPZOVIVM, D. IO. OLEARIVM, L. IO. SCHMIDIVM, L. THOM. ITTIGIVM, & D. ADAMVM RECHENBERGIVM, cum Theologiam Systematicam, Exegeticam, Moralem, Symbolicam, Homileticam, Hermeneuticam, & Historiam Ecclesiasticam tradiderunt. In lingua Ebraea, qua maxima pars oraculorum divinatorum consignata est, magistros habuit peritissimos, *M. Zoëgam*, *M. Starckium*, *Aug. Pfeifferum*, & doctissimum Iudæum conuersum, sed parum in fide constantem, *Christiani*, cuius ductu *Michlal Iopbi* voluit ac tractavit. Sunt honores Academici stimulus quidam nitendi altius, magisque perficiendi doctrinae suppellectilem. Hinc MDCLXXXVIII suscepit titulum Baccalauri in Philosophia; & anno post a Decano Excell. DN. CYPRIANI gradum honoresque Magistri. Aegre tegitur ignis; eiusque simile ingenium latere haud facile potest. Hinc non solo superbire voluit Magistri titulo, sed etiam eo se non indignum esse demonstrare publice. Disputavit igitur Praeses de *studio novitatis*, de *historia Electoratus VIII. de testimonio Pontificum de suis erroribus*, de *unitariis*, & pro *Loco de Spinoza & Bekkero*. Ipse etiam aliis docendo praevit, certus docendo discere docentem. Hinc scholas aperuit, docuitque Historiam ecclesiasticam, Logicam, Metaphysicam, Historiam reformationis, recentissimas controuersias, theologiam theticam, oratoriam sacram, & modum parentandi. Nec in umbra solum dicendi artem docuit, sed ipse etiam prodiit orator, modo ecclesiasticus pro hospite suo B. ITTIGIO, modo parentator, modo panegyristes, celebrando memoriam summi Theologi D. HENRICI. Hisce studiis cum absentibus etiam notus esset, factum est, vt MDCXCV a Sereniss. Saxoniae Duce, JOHANNE ADOLPHO, vocaretur Leucopetram, & praeficeretur informationi Serenissimarum Principum, ANNÆ MARIÆ, iam Comiti Solmensi, & SOPHIÆ, iam Marchioni Brandenburgensi Byruthino, nuptis. Per biennium fere hoc munere functus erat, cum sine omni praefatione obtinuit munus Antistitis Eccardtibergeris. Antequam illud capesseret, auctoritate D. OLEARII, summi concionatoris aulici, lenæ Licentiam expetiuit summos capeffendi in Theologia honores, facileque obtinuit MDCXCVII d. XVI Maii, cum lectiones habuisset cursorias suas de recentissimis in Belgio controuersis, defendissetque Disp. Inauguralem *de gemitu Spiritus S.* Posthæc Domin. X. Trin. solemniter capeffuit munus, fideliterque administravit. Hic horas subcivitas non inutiliter elabi passus est, sed edidit conciones miscellaneas, dicta illustria, & exercitationem de religione prudentum. Factum hinc est, vt innotesceret Reuerendissimæ atque Sereniss. Saxoniae Duci, ANNAE DOROTHEÆ, huius Dicecefsos Antistiti, quæ, cum concionem hic noster habuisset ipsa praesente, Domin. VIII. Trinit. anno MDCCI d. XII Augusti ad munus Concionatoris aulici summi rite eum vocavit, ad quod Dom. XVIII Trinit. solemniter est inauguratus. An. MDCCIII Dom. XII Trin. munus obtinuit Pastoris ad D. Benedicti, & Antistitis, & Consilii Ecclesiastici, Gymnasiique Inspectoris. Hoc in munere quomodo sit versatus, tota nouit ciuitas. Veram fidei doctrinam integre docuit, ad virtutes christiano dignas fideliter est hortatus, & a vitiis grauitur reuocavit, nullum vel laborem, vel odium, vel inimicitiam, quæ fere comes esse solet, veritus. A. MDCCIX gradum

gradum Doctoris Theologi Ienæ suscepit, munere suo & dignitate non indignum. Matrimonium iniiit primum MDCXCIX, cum Eccardtbergæ esset, & d. XX Iulii domum duxit summe Reuerendi atque Magnifici D. HENRICI MATTHIAE de BROKE, Antistitis Generalis Altenburgensis, filiam virginem secundo genitam, ROSINAM ELISABETHAM, qua cum propemodum XVIII annos suauis coniugii vinculo transegit. Quæ cum obiisset MDCCXVII d. VIII Ianuar. nec res domesticæ ferrent vitam viduam, ad secunda transiit vota, & eodem anno d. II. Decembr. matrimonio sibi copulauit virginem MARIAM SOPHIAM, filiam IO. CHRISTOPHORI HANSES, dudum defuncti, hereditarii & Salinarii in Sildorff, quæ præmaturum mariti obitum tanto acerbius luget, quo suauior atque tranquillior fuit coniugii societas. In liberis quidem, DEO sic volente, non viuit vir beatus, (neque enim in vtroque matrimonio prolem fustulit) viuit tamen in libris, doctisque scriptis, quæ a doctissimis etiam viris commendata sunt, nec vero hic omnia iam commemorari queunt. Tria inprimis argumenta perquisiuit: primo quidem *de matrimonio cum defunctæ uxoris sorore*, in quam se controuersiam nunquam fuisse implicatum sæpe optauit; deinde authenticam dicti de tribus in cælo testibus, i. Ioh. V, 7. tertio historiam & antiquitates Quedlinburgenses. Etsi enim facile agnouit, se vniuersa non accurate potuisse expedire; glaciem tamen se fregisse, aliisque præbuisse occasionem exquirendi historiam vberius, fuit contentus. Certe Quedlinburgum se ipsum antea vix nouerat, eius autem industria noscere didicit, eoque dum erit, memoriam huius sui Antistitis seruabit. Vitæ rationes ita semper iniiit, vt decet animarum Pastorem, cuius vita speculum est, in quod alii intuentur, facileque notant, si quid occurrat eo indignum, hominem tamen se esse probe recordatus. Veram pietatem, quæ externa specie non censetur, in concionibus huius anni auditoribus explicuit & commendauit, quam ipse etiam DEO approbare studuit, & vti variam Hieronymi doctrinam, Ambrosii Zelum monstrauit, ita Augustini pietatem est sectatus. Quod ad morbum & extrema attinet, per aliquot annos arthritide vaga scorbutica laborauit, quæ tamen cura Prænobilissimi, Experientissimique D. MICHAELIS KAVLITZII, medici eius ordinarii, ita noxia non fuit, etsi subinde dolores dorsi, stuporem artuum, aliasque corporis infirmitates senserit; neque tamen impedire ea potuerunt, quo minus munere fungeretur suo. Ante quatuor circiter hebdomades d. XXIV Iulii in spina dorsi infra musculos scapulares vlcere prægrandi fuit affectus; cum aliquandiu remedia domestica fuerunt adhibita, primum chirurgus, postea quoque Medicus ante laudatus aduocatus fuit, qui statim valde periculosum hoc esse agnouit apostema, in corpore inprimis cachectico. Omnis cura fuit adhibita, nec omissum quicquam, vt purulentam materiam, quæ magna copia affluebat, seiungerent. Non sine leuamine vulnera depurata videbantur coire; cum d. X. Iulii nouus abscessus, hepatem versus, prodit, cui cum priori communicatio erat; insuperque accessit febris continua maligna cum singultu, diarrhœa colliquatiua, & summa virium prostratione sitique inexstinguibili. Nihil fuit intermissum, quod ad tollenda hæc mala coaceruata pertinere posset; tandem tamen vir beatus succubuit, & die XXI Iulii paulo ante horam III inter hymnos circumstantium placide atque tranquille spiritum reddidit DEO. Non perhorruit decretoriam horam, sed iam ante se, vt decet Theologum, ad eam præparauit, omniaque rite disposuit. Adsit DEVS Opt. Max. viduæ relictae peracerbe hoc casu grauissimo afflictæ, fratribusque Per-Reuerendis, Affinibus & aliis cognatis solatio, & benigne omnes erigat, sarciatque ecclesiæ damnum. Funus inferetur sepulcro ad D. Benedicti Domin. VIII Trinit. quod & Domini Collegæ, quos omnes inaugurauit, & nostrates alumni, pro viri beati in rem literariam meritis fauoreque in scholam singulari frequentes, pertristi tamen animo, deducunt. Quedlinburgi, Dom. VIII Trinitatis,

clccxxii.

F.K. 59 (2)

X 2253133

14
Zc
1046

CVM
VIR SVMME REVERENDVS, MAGNIFICVS
atque AMPLISSIMVS,
D O M I N V S
FRIDER. ERNESTVS
KETTNERVS,

SANCTÆ THEOLOGIAE DOCTOR
CONSILIARIVS ECCLESIAST
CESEOS ANTISTES, AD D. BENEDICT
GYMNASII INSPECTOR GRAVIS
RITISSIMVSQVE,

NATVS A. c1610 c1711. d. XXI IANVARII, DENA
d. XXI IVLII, ANNO AETATIS
DOMINICA VIII TRINITATIS

QVA PRIMAM HIC HABVIT CONC
TVMQVE SIBI IN HANC DIOECESIM
IN AEDE D. BENEDICT
SEPVLCRO SVO ESSET INFEREN

HONORIBVS SVMMI ME
MIQVE THEOLOG

SVIQVE AFFINIS ETIAM POST FAT
HOC, QVICQVID EST, MONVMEN
PONERE,

ET VNA DOMINIS COLLI
atque ALVMNIS SVIS

EXEQVIAS SIGNIFICARE VO
M. TOBIAS ECKHAR
ILL. QVEDL. R.

QVEDLINBVRGI,

Licetis IO: GEORGI SIEVERTI, Typogr: A

